



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Festvm Pentecostes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

xuria; nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Ideo si post medicū desideramus ascendere debemus vitia deponere. S. Aug. serm. 2. de Asc. Dom.

FESTVM PENTECOSTES.

Non ego jam centum ora rotidemq; linguas, unam tantum ex ijs opto, quas hodie cælum depluit. Iacebat è juventute studiosā adolescens, quem in lectum non tam ægritudo quam scelerum pondus dejecerat. Cæcus interea non videbat ante orci fores se stare, surdus ne fratris quidem monita saluberrima audiebat. Intempestā nocte virum videt majestate vultus, & multā canitie venerandū. Ego, ait hic, ille sum, qui tui causā omnia, sed te mei unius gratiā condidi. Si nondum intelligis, omnium PATER sum, sed te filium degenerem ab dico, abjicio, & dirum damnationis Theta jam nunc tibi denuntio. Ita attonito sub alteram noctem vir adest integrā ætate, spinis caput, cruce humeros insignis, cætera nudus & sanguine, qui ex pectore saucio in fontem abierat, latè humum inundans; hic, si nescis, inquit, IESVS sum, Servator olim tuus, nunc Iudex: simul manum pectori immittit, & sanguine plenam in vultum jaciens ægri, erubescit, ait, vel sic & tesseram damnationis cape, salutis futuram, si maluisses. Sub hæc in cælos, æger in desperationem abiit. Erexit tamen miserum frater, & ut noxis expiatis ad *Amorem SPIRITVM* se verteret, suasit. Tertia igitur nox personam visa ostendere, vultu prioribus non ab simili, sed placido, & arridente, qualemque humero insidens columba probabat. Atque hæc scelerum veniam, & mortem beatam

nuntiavit. Quis jam fidem non habeat dicentibus columbam sine felle esse? *Ex Spec. Exempl.*

Vt almus hic Spiritus vivificet te, custodi unitatem, & apud te quietus sede, prestolare ejus adventum, ut te ad se suscipiendum paratum inveniat: Turbas fuge & temporalium facultatum devota negotia, quatenus amabiliter Paracletus veniat & requiescat in te. S. L. Iust. serm. de Pent.

FESTVM SS. TRINITATIS.

Quid solem intueris? si sapis oculos claudes. Fides talpa sit, oportet. Nimirum non posse in parvulam fossam exonerari Oceanum, Augustine, docuisti. Manu tamen ad tanta mysteria non semel nos duxit cælum. Ita quo tempore Vafatenses Hunni bello, & hæresi suâ SS. TRIADEM Ariani impetebant, Miraculum contra hos ingens pugnavit. Etenim sub ipsis sacris è cælo in aram tergeminae guttæ se demiserunt, invidiam crystallo facturæ. Has cum legete Sacerdos vellet, ecce suapte sponte in uniceam gemmam coivêre. Atque hoc nobilissimum VNIVS TRIADIS, & TRINÆ VNITATIS symbolum Christiani cruce, hanc unionibus ornavit. Sed quod unâ suâ gemmâ fat dives crux esset, vniones omnes, velut victos se faterentur, longè inde exsilierunt, quo permoti cives aureâ denique cruce, vt par erat, gemmam unicè pretiosam incluserunt. Iam in Virginis Claræ de Monte Falco corde repertos ajunt hodieq; asservari tres globos, qui singuli cum singulis, quin imò bini etiam cum tertio certant pondere, nec tamen superant, nec superantur. Ostendit hæc Virgo nobilius aliquid quàm aurum, quo mysterium